



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XXXIII. De instabilitate cordis, & de intentione finali ad Deum
habenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

ne oblivioni tradita videtur vera
cœlestis sapientia: non sapiens alta
de se, nec magnificari quærens in
terra; quam multi oretenus prædi-
cant, sed vita longe dissentiunt: ipsa
tamen est pretiosa margarita, a mul-
tis abscondita.

C A P U T XXXIII.

*De instabilitate cordis, & de intentio-
ne finali ad Deum habenda.*

I. **F**ili, noli credere affectui tuo:
qui nunc est, cito mutatur in
aliud.

Quamdiu vixeris, mutabilitati sub-
jectus es, etiam nolens, ut modo
lætus, modo tristis, modo pacatus,
modo turbatus; nunc devotus, nunc
indevotus; nunc studiosus, nunc
acediosus; nunc gravis, nunc levis
inveniaris.

Sed stat super hæc mutabilia sa-
piens, & bene doctus in spiritu:
non attendens, quid in se sentiat,
vel qua parte flet ventus instabilita-

N 7 tis,

tis, sed ut tota intentio mentis ejus ad debitum & optatum proficiat finem.

Nam sic poterit unus & idem, inconcussusque permanere, & simplici intentionis oculo per tot varios eventus ad me imprætermisse directo.

2. Quanto autem purior fuerit intentionis oculus, tanto constantius inter diversas itur procellas.

Sed in multis caligat oculus puræ intentionis; respicitur enim cito in aliquod delectabile, quod occurrit.

Nam & raro totus liber quis invenitur a nævo propriæ exquisitionis.

Sic Judæi olim venerant in Bethaniam ad Martham & Mariam: non propter Jesum tantum, sed & ut Lazararum viderent.

Mundandus est ergo intentionis oculus, ut sit simplex & rectus, atque ultra omnia vana media ad me dirigendus.